15

CATALOGVS
LECTIONVM ET EXERCITATIONVM

QVAE

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA

A FESTO PASCHATOS

VSQVE

AD FESTVM MICHAELIS

ANNI CIↃ IↃCCVII.

HABEBVNTVR.

Jul.



HELMESTADI

Typis GEORG-VVOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
ANNO CIↃ IↃCCVII.



FACULTAS THEOLOGICA.

JOH. FABRICIUS D. tradet *Electa Biblica*, seu ex posteriore Samuelis, & sequentibus V. T. libris insigniora & difficiliora loca explicabit, eorumque usum cum in vita, tum in concionibus adhibendum ostendet, &, ne antecedentibus explicationibus destituatur studiosa juventus, eas typis curabit excudi. Privatim docebit *Prudentiam theologicam*, sive modum, quem theologus observare tenetur, si ecclesiæ vel scholæ cum fructu velit præesse, quibusque præsidiis instructus esse debeat, qui ad alterutram contendit. Nec minus vacabit *collegiis examinatorio*, *homiletico*, *& biblico acroamatico*.

IO. ANDR. SCHMIDT D. superiori semestri absolvit duo postrema historiæ ecclesiasticæ N. T. secula, & hac æstate *compendium historiæ ecclesiasticæ V. T.* eadem methodo elaboratum B. C. D. illustrabit. Privatim tradit *controversias cum pontificiis*, quibus ad finem perductis, perget ad illas, quæ nobis cum reformatis intercedunt. Præter *collegium dogmaticum*, publicas etiam *disputationes* instituet.

CHRISTOPHORUS TOBIAS WIDEBURGIUS D. Quæstiones Theologicas de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus juxta Seriem Locorum publicis lectionibus proponet. Privatim dogmata sacra explicabit, atque ad artem homileticam auditores manuducet; nec non publice disputaturis operam prompte accommodabit.

FRIDERICUS Weise *D.* publice in explicatione librorum N. Testamenti perget atque, absoluta expistola ad Colos-

Colossenses, eas enarrabit, quas Paulus ad Thessalonicenses scripsit. Privatim præcepta explicandi tradet, ut, his recte cognitis, in explicanda sacra scriptura feliciter procedant, qui tandem ex ea cœtum ecclesiasticum docere, in cœlesti veritate confirmare, & ad salutem perducere sibi proposuerunt. Illis etiam, qui Theologiæ morali student, hanc exponet.

IOH. BARTHOLDUS NIEMEIERUS, D. Academiæ Senior, ac Controversiarum Professor, publicis lectionibus quæstiones, circa quas Pontificiorum Ecclesiæ ab orthodoxia deflectunt, eô ordine, quô Concilium Tridentinum eas attigit, ad sacræ Scripturæ normam, adhibitis primitivæ Ecclesiæ consentientibus doctrinis, expendet. In domestico Auditorio fidei Christianæ dogmata discursibus illustrabit, atque institutis tàm examinibus, quàm disputationibus privatis cum provectioribus repetet, viam hôc pactô ad sanctorum Morum Theologiam exactè percipiendam paraturus. Extantiora etiam Scripturæ Sacræ cùm Veteris, tùm Novi Testamenti dicta illustrabit, iisque, qui publicis Disputationibus ingenii sui vires periclitari voluerint, operam addicet, neque in aliis bonæ eruditionis partibus Auditorum commoda promovere intermittet. Docet publicè horâ X.

FACVLTAS JVRIDICA.

JOHAN Eisenhart *D.* Expositione libri quarti Codicis repetitæ prælectionis brevi ad finem perducta, ad reliquorum librorum explicationem progredietur. Privata quoque industria pro desideriis cupidæ legum juventutis tum alias juris civilis partes, tum præcipue eam quæ ad usum fori manuductionem continet, illustrabit.

JOHANNES WERLHOFIUS D. Pandectas, quarum libros jam XXVI. absolvit, publice interpretari perget, privatim auditorum se desideriis, qua Privatum Jus, qua Publicum, attemperabit, tamque disputando, quam docendo, promtam cupidis præbebit operam.

ANDREAS HOMBORGIUS D. Canonici juris interpretatione perfunctus *Dn. Strykii Examen juris feudal.* publice explicabit; privatim instit. Justin. propediem absolvet, quas, una cum Pandectis, denuo tradere aggredietur disputationum publicarum telam, ad Pandectas ante trimestre cœptam, brevi pertexturus.

JOHANNES VVILHELMVS Engelbrecht D. Finitis propediem lectionibus Institutionum, Constit. Criminal. publicè futuro semestri exponet. Privatim cœptum ad Digesta collegium absolvet, Institutiones etiam ut & alias Jurisprudentiæ partes ex desiderio Dn. Commilitonum auspicabitur.

GEORGIVS Engelbrecht Publice in exponendis Novellis processum instruentibus occupatur, quibus absolutis *Differentias juris veteris & novissimi* tradet. Privata opera prælectiones & examina Institutionum propediem ad finem perducet, omnique diligentia commentationes suas ad Pandectas singulis diebus duabus horis urgebit, & finiet. Nec deerit iis, quibus industriæ & eruditionis suæ specimina publicis disquisitionibus submittere animus est.

FACVLTAS MEDICA.

ANDREAS JULIUS Bötticher Med. D. & h.t. VRector Absolutis illis, quæ ad accuratiorem morborum cognitionem faciunt, generales circa morborum curationes regulas, & in praxi Clinica apprime utiles observationes publice proponet. His junget Chirurgica & Hornii micro-

crotechnen ulteriori discursu illustrabit, ita tamen has moderabitur lectiones ut nec illis, qui nondum satis in studio medico versati sunt, difficiles nimis videantur: Omnes autem in arte facienda egregiè juvent.

JOHAN. GEORG. STEIGERTAHL D. tempus academicis studiis destinatum in observationes aërometricas instituendas & edendas insumet, earumque primitias quamprimum licuerit, publicæ luci committet.

AL. CHRISTIAN. GAKENHOLTZ D. In *Physiologicis* tradet ordine doctrinam de secretionibus, de generatione & de sensibus. Privatis Lectionibus *Medicinam staticam* Sanctorii volentibus exponet. Quid in *horto*, demonstrationibusque Botanicis acturus sit, quibusque plantis hoc anno hortum auxerit, Programmate indicabit.

BRANDANUS MEIBOMIUS D. Demandatam à Serenissima & Potentissima Domo Brunsvico-Luneburgica professionem solenni nuper de rei Medicæ incrementis oratione ac præmisso programmate auspicatus in Pathologicis occupatur, & introductione in hæc studia absolutâ, Pathologiam generalem explicabit, inde ad specialem progressurus. Privatim ad usus & desideria studiosæ juventutis labores & industriam suam accommodabit.

FACULTAS PHILOSOPHICA.

HERMANNUS von der Hardt/ Ling. Or. Prof. Ord. Demonstratis superiori semestri Judæorum antiquitatibus in Arca fœderis, nec non recensitis denuo Hoseæ Prophetæ 29. libellis, juncto R. Salomonis Commentario, alios nunc Judæorum ritus illustrabit, & Amosum Prophetam ad Philologiæ normam enarrabit. Privatim alia Philologiæ momenta ex usu Auditorum futura expediet. Docet publice hora IX.

JUST.

IUST. CHRISTOPH. BöHMER, Polit. & Eloq. Prof. Ordin. publice, horis diuersis, ciuilis doctrinæ atque eloquentiæ sacræ præcepta denuo interpretabitur. Priuatim, iuxta alias, de antiquis Romanorum nummis consularibus & imperatoriis prælectiones continuabit. Docet publ. hor. X. & IV.

CHRISTOPHORUS HENRICUS RITMEIER, Postquam proverbialiter dicta insigniora ex Evangelistis & Actis Apostolicis absolvit, eidemque negotio nuper aliud quoddam à munere suo haud alienum lectionum publicarum argumentum interposuit, ad Epistolas Paulinas ac reliquas ordine progredietur, proverbiales istiusmodi locutiones inde eruet, & ex Antiquitatibus illustrabit. Privatam quoque institutionem suam in una atque altera bonæ eruditionis parte desiderantibus lubens gratificabitur. Docet publice hora III.

RUDOLPHUS CHRISTIANUS WAGNER, Math. & Phys. Prof. Ordin. in *Arithmetica vulgari Praxeos*, ita dictæ, *Italicæ* fundamenta proponet. In *Algebraicis* autem operationibus, post extractionem radicum ex binomiis, ad præcepta, de reducendis æquationibus, nuper fecit progressum. His perceptis ipsam *problematum* constructionem aggredietur, usumque thesium, hactenus calamo exceptarum, in *exemplorum analyticorum*, per singula *æquationum* genera, solutione C. D. commonstrabit. In Physicis, absolutis de *Aere* commentationibus, novas de *Igne*, ex placitis incomparabilis, difficili hoc in argumento, viri *Pauli Casati* exordietur. Privatim dogmata *Optica* practica, *Gnomonica*, *Statica*, *Trigonometrica Sphærica*, ut et *Physica*, ad finem jamtum cum Deo deduxit: in *Algebraicis* autem adhuc detinetur exercitiis. Præter hæc ipsa, quas desiderarunt, tum *Mathematicas*, tum *Physicas* scholas denuo aperiet, in singulis ad voluntatem et commoda Commilitonum sese compositurus. Docet publ. hora I.ma & VI.ta

FRI-

FRIDERICH AUGUST HACKMAN elegantissimam illam illustris *Hugonis* Consultationem de *abusu Appellationum*, & *Recessum Imperii novissimum* una cum tribus posterioribus *Pacificationibus* lectionibus perget explicare publicis: privatis verò *Jus naturæ* & *publicum* ad ductum *Grotii* & *Hugonis* exponet, Nobilissimisque aderit Dominis Commilitonibus, qui ex utra malint Jurisprudentia seligent materias, quarum publica ventilatione præstantes ingenii vires indigitent. Docet publicè hora V.

CORNELIUS DIETERICUS KOCH, Philos. prim. & Log. Prof. Ordin. absolvit publice *Metaphysica* & *Regulas Philosophicas* selectiores. Proximo semestri Logica, i. e. *Dialectica* & *Analytica*, iterum publice docebit, inque Autore harum doctrinarum, quem exponet, virtutes & vitia sedulo notabit. Privatim scholas in alterutram Philosophiæ sibi commissæ partem petentibus aperiet, atque ad *Deambulationes philosophicas* Commilitones novos Programmate invitabit. *Specimini II.do Emendationum Philosophicarum*, & *Dissertationi de Varietate Opinionum*, doctorum Juvenum laboribus, similia diligentiæ argumenta publicaturis Ingeniis, promtam præstabit opem. Docet publice hora II.da

GEORGIUS Engelbrecht Moralium Prof. Ordin. publice finitis *Juris Naturæ ac Gentium* prælectionibus *doctrinæ moralis fundamenta* tradet. Privatim cultissimum *Pufendorfii* libellum *de Officio Hominis & Civis* interpretabitur, aliasque exercitationes pro ratione muneris sui ex voto Auditorum auspicabitur.

JO. GEORGIUS ECCARDUS Historiarum Prof. Ordin. Finita *Historiæ universalis, quæ tempora nati Christi antecedit*, explicatione, perget jam, & *Historiam universalem à Christo nato ad imperium Caroli M.* consvetâ methodo *publicè* proponet. Videbunt ibi Domini Commilitones Romani imperii florem

florem & interitum; Ecclesiæ nostræ parva initia, & subita incrementa, Patrum omnium nec non præcipuorum Hæreticorum gesta & scripta. Percipient, quicquid unquam eleganter litteris mandatum in Latio, & quomodo tandem eruditio & eloquentia Romana barbariei succubuerint: audient irruptiones nostræ Nationis, hoc est, Gothorum, Vandalorum, Longobardorum, & cæterarum gentium in Italiam: causasque tot in ecclesiâ & republicâ mutationum ex ipso intelligent. *Privatim* autem continuabit *Lectiones in Novellas sive Relationes rerum novarum*, & Programmate proximè publicando plura de hoc instituto cum iis, quibus illud placet, communicabit. *Privatim* etiam *Notitiam rei litterariæ, usumque Bibliothecarum*, bonarum artium cultores candidè docebit. Nec præterea deerit iis, qui in Geographicis, Genealogicis, Heraldicis aliisque suæ Professionis partibus ipso directore progredi cupiunt. Docet publicè horâ VII.

JONAS CONR. SCHRAMMIUS S. Th. L. & Pr. Extr. absolutis *Lectionibus Hebraicis Fundamentalibus*, quarum initium ante hoc trimestre spatium publico Programmate significabat, *Introductorias*, quas promisit, *in Philosophiam universam* propediem inchoabit, & pluribus ideò differet Programmate præliminari. *Cursum Philosophicum* horis privatis prosequetur, *Philologicum* verò aggredietur. Publicè docet hora XI.

Habebunt in hac academia & illi, quibus integrum est sua studia certis distinguere intervallis, præter lectorem linguæ Gallicæ, in arte equitandi, ludisque, palæstrico & saltatorio, Magistros, longo harum rerum usu exercitatissimos.

):(